



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Theosophia quantæ præstantiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Theosophia uti humilitate acquiratur.

Osee 4.

Christiana Philosophia est humilissima & modestissima. Discitur enim & docetur in occulto, seruetur occulte, & appeti: semper secrete & occulte loquari. Huc facit quod per Prophetam Dominus de animâ religioſâ dicit:

Pfal. 93.

Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad eor eius. Beatus homo, quem tu erudiris Domine, non foris sed intus: non in publico (ubi vana subrepat laus) sed in secreto, ubi non timetur pestifer status vanæ gloriæ cuncta bona dissipantis.

Perſius.

Etal. 4.

At mundi sapientia non intus sed foris gloriam quærens, propalam docetur in scholis, in gymnasijs, in hominum frequentia, nec se patitur ab hominum noticiâ secludi, sed vult cunctis innotescere, ut lauderar ab omnibus. Quod genus homines irridens Perſius: *Scire tuum, inquit, nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Istis per Prophetam dicit Spiritus Sanctus: *Filij hominum vsque quo graui corde: ut quid diligitis vanitatem, & quantu mendacium?*

Theosophia uti minimè sit obscura.

Num. 12.

Christiana sapientia est euidentissima, siquidem per eam Deus (qui est obiectum lucidissimum) perspicuè & abundè cognoscitur. Nam Moyses contemplator præcipuus, Deum facie ad faciem nouit, & palam vidit, non per ænigmata & figuras. Quid verò possit esse opacius, quàm Deum per contemplationem cernere?

Eccle. 8.

Mundi autem sapientia obscurissima est & maximè ambigua, nec quicquam per eam certò cognoscitur, sed cuncta quasi per accidentia agnoscimus. Nota est illa Sapientis sententia: *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum que sunt sub sole: & quando plus laborauerit ad querendum, tantè minus inueniat.*

Theosophia quantæ sit præstantiæ.

Christiana Philosophia, & vera diuinorum contemplatio, dignissima est, utpote quæ circa præclarissimum versatur obiectum, ipsum videlicet Deum omnipotentem, qui est omnium perfectionum & bonorum pelagus infinitum.

Iacobus.

Mundi autem sapientia est reuera vilissima, quandoquidem circa creaturas vilissimas occupatur: puta circa materiam primam, (quæ est imperfectissima,) circa quantitates, & secundas intentiones, alijs eiusmodi: si quid verò de Deo vel cœlestibus agat, prorsus confusa est, & generali quadam ratione dæcitur. De qua est illud Iacobi Apostoli. *Non est istorum sapientia desursum descendens à patre lumininum, sed terrena, animalis, diabolica.*

Theosophia ut sit omnium scientiarum sublimissima.

2. Cor. 12.

Christiana sapientia est sublimissima: Excedit enim tum Physicam, tum Metaphysicam scientiam: illam quidem quod eâ in re versatur, quæ non potest ratione naturali attingi aut inuestigari: istam verò, quod id tractat, quod non potest villo humanæ intelligentiæ actû perspicui vel cognosci. O admirandam, ô sublimem, ô diuinam & maximè appetendam sapientiam! quàm didicit Apostolus, cum raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Poet.